

1596

SENATUS
decretum &
respondum.

agitare, quam ut, Christianorum aucta potentia, barbarorum fastus viresque reprimantur; tot, tantisque causis incitatum atque impulsum ad egregia perpetranda Rempublicam invitare, digna majoribus, digna Senatu, qui præclaris virtutis ac prudentiæ argumentis omni tempore inclaruerit. His vehementi dicendi vi a Pontificis oratore enuntiatis, cum & Mauro legato, & Clementi respondendum esset, ejusmodi Senatus consultum fit. *Subsidia, quæ Clissam importentur, impediri non placere, dummodo ab insulis Illyrico adjacentibus abstineant, neque in litoribus, quæ in Reipublicæ ditione sint, cogantur*: atque ita legato mandatum. Id Senatus decretum Clementi significatur, de propenso in Rempublicam animo, Clissæque arce eidem tradenda voluntate gratiæ actæ. Ameriæ Episcopo responsum: *Nibil antiquius, quam christianæ reipublicæ incrementum decusque hæere animis; ut tandem aliquando Ottomanorum potentiæ fastigium deprimeretur, cunctos optare; fractam fidem, acceptas clades, regna, provincias, urbes amissas oculis obversari: verum ingentis rem momenti esse, quæ neque facile explicari, neque tuto, nisi existimatio atque imperium in apertum discrimen vocentur, confici posse: neque Turcarum res eo loco esse, quo nonnulli sibi suadeant: ingentem molem, tot provinciis, regnis, viribus suffultam, difficulter admodum prosterni posse, nisi majori ardore, junctis animis atque armis christiani Principes conveniant: tunc sane Rempublicam egregia illius voluntatis in commune bonum argumenta edituram*. Ceterum quisnam Clissæ exitus futurus esset incertum erat. Turcarum numerum augeri, ut jam decem millium summam explerent, renuntiabatur; propugnatoribus aqua laborantibus abunde imbris subventum; in summa expectatione auxiliorum esse. Eoque maxime Patres commovebantur, quod percrebuerat, irrepere sensim in plerisque rerum novarum cupiditatem; complures ex Venetæ ditionis oppidis ad Clissensium partes, Cæsareanorumque militiam traduci; quodque gravius erat, sacratos viros, religionis obtentu iis se negotiis immiscere: ex Ancone Tragurium Vicarium Antistitis trajecisse, cœnobitisque aliquot sibi adjunctis, populorum animos sollicitare, occultis adhortationibus incitare, nisi Clissanis oppitulerentur,

reli-